



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Quid in ea Blondus. n. 16.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

Ambrosio, & R. admodum P. Frater Franciscus de S. Clara, & pro parte & nomine PP. Carmelitanorum R. admodum P. F.

Deuenerunt ad infra scriptam concordiam, duraturam quousque Deus restituat vltim Religionis in hisce regnis in nomine Domini

Articulus vnicus Cōcordiæ seu

Vnionis inter Reuerendum Episcopum Chalcedonensem

Et Clerum secularem ex vna parte, & PP. Benedictinos, Dominicanos, Franciscanos, & Carmelitanos ex alia parte.

**P**artes sibi mutuo promittunt se vnanimiter curaturos commune Religionis bonum in Anglia, seque inuicem quoties opus fuerit amanter coadiuturos, nec permissuros, quantum in se est, vt summus Pontifex per fallas informationes de rebus Anglicanis decipiatur, neue Serenissimi Regis nostri, Reginæ, aut status honor lædatur.

Et ad hos fines statuitur quod saltem singulis trimestribus deputati vtriusque conuenient certo loco, ac tempore ad deliberandum, & quoties præterea occasio postulauerit.

Cum autem sua Sanctitatis pro cura sua Pastoralis huc destinauerit eximium virum admodum R. D. Gregorium Panzanum, eundem pro sua humanitate rogatum cupimus, vt vtriusque deputatos, qui ad dictam concordiam constituendam conuenient, quò firmior & solemnior euadat, suâ præsentia cohonestare dignetur.

Quod si reliqui Ordines simili nobiscum fædere sociari optent, libenter in Consortium vnionis omnes admitteremus.

In quorum fidem dicti deputati subscripserunt proprijs manibus tria Exemplaria, quorum vnum sit penes Clerum secularem, alterum penes supra nominatos Ordines, & tertium tradatur Admodum Reuerendo Domino Gregorio Panzano, vt de eo Romam referat: die, mense, anno quæ supra.

Georgius Fisherus.

Ioannes Southcot.

Thomas Vitus.

Fr. Leander de Sancto Martino.

Benedictinus.

Fr. Benedictus de S. Facundo

Fr. Paulinus Greenwood.

Fr. Thomas de Media-Villa Ordinis Prædicatorum.

Fr. Ludouicus de Sancto Ildesonso Ordinis eiusdem.

Fr. Aegidius de Sancto Ambrosio Ordinis Sancti Francisci.

Fr. Franciscus de Sancta Clara, eiusdem Ordinis.

XVI. Quæ fuerit Causa huius conuentionis, quis finis, quod fundamentum

Nnn 3

Quid in re  
Blondus  
præstiterit

1635.

damentum non equidem suscipio diuinare, multo minus curam Sociorum nemo monitus de congressu; curæ Reuerendus Pater Fr. Carmelita ne quidem nominatus.

Blondus antequam ea potestate quam grauis iam annis auebat deponere plenè exueretur occurrendum arbitratus estimationi Societatis, ne quam illa notam contraheret vel aspernatæ concordia vel offensionis in ea de quibus illa decernebat, hoc publicum integritatis, & rei prout gesta est dedit testimonium.

Richardus Blondus Societatis *Iesu*  
Præpositus Prouincialis Angliæ.

**O**Mnibus has visuris salutem in Domino. Cum ad me perlatum nuper sit non dubia plurimorum fide qui non tantum auribus, sed etiam oculis viui parum Concordiam quandam scripto initam inter quosdam Sacerdotes tam seculares quam Regulares aliquorum Ordinum, cuius quidem scripti hæc est summa. Comune Religionis bonum præcipue ab Operarijs huius vineæ spectandum est, idque eo facilius promouetur quo magis Operarij inter se colligantur: Idcirco ad unionem huic fini congruentem stabilem conuenire decreuerunt; & nè quid optatum progressum impediatur, promittunt se memoriam omnem præteritorum dissidiorum abolere velle.

Conuenientes igitur die decimo septimo Nouembris ANNO 1635. statuunt & promittunt se vnanimiter curaturos commune Religionis bonum in Anglia, seque inuicem amanter, quoties opus fuerit, coadiuturos, nec permissuros, quantum in se est, vt summus Pontifex per falsas informationes de rebus Anglicanis decipiatur, nèue Serenissimi Regis nostri, Reginae, aut status honor lædatur.

Ad quos fines obligant se ad conueniendum tertio quoque mense. Rogant autem admodum R. D. Gregorium Panzarum, vt deputatos ad dictam Concordiam stabiliendam ita conuenientes, quo ea firmior ac solemnior euadat, suam præsentiam cohonestare dignetur. Addunt præterea se reliquos Ordines in Vnionis consortium libenter admissuros, si simili secum fœdere sociari cupiant.

Tandem tria exemplaria proprijs manibus subscripserunt, quorum vnum sit penes Clerum secularem, alterum penes hos Ordines Regulares, tertium tradatur admodum Reuerendo Domino Gregorio Panzano vt de eo Romam referat.

Hæc huius scripti summa, & fere etiam verba: Nomina autem eorum qui conuenerunt & subscripserunt hæc sunt. RR. DD. Georgius Fisherus, Ioannes Southcott, Thomas Vitus, Sacerdotes seculares. RR. PP. Leander de Sancto Martino, Benedictus de Sancto Facundo, Paulinus Greenwood, ex Ordine Sancti Benedicti, RR. PP. Thomas de Mediauilla & Fr. Ludouicus de Sancto Ildesonso, ex ordine Sancti Dominici. RR. PP. Fr. Ægidius de

San-

1635.

Sancto Ambrosio, & Fr. Franciscus de Sancta Clara ex ordine Sancti Francisci. Et quamuis dicantur interfuisse quidam Patres Carmelitæ, nondum scire potui quinam fuerint, nec an nomina sua subscripserint. Cùm hoc, inquam, ad me ita perlatum esset, ac præterea spargeretur vbique rumor, solos seuitas, quamuis inuitatos, ad Concordiam hanc stabiliendam accedere noluisse, officio ita postulante statui publicum dandum esse testimonium tum Innocentiæ Societatis nostræ, tum animi non tantum studiosi, sed prompti etiam ac parati ad pacem cum omnibus amplectendam.

Primum igitur sanctè affirmo, me nunquam à quoquam ad huiusmodi congressum inuitatum esse, nec quidquam à quoquam accepisse ex quo vel leuissimè colligerem gratum alijs fore si ego aut qui quam alius meo nomine interesset, nec etiam quidquam de re quæ tractabatur, multo minus de personis, loco aut tempore intellexisse quam omnia iam perfecta essent: neque tandem à tempore Concordiæ iam inite quidquam mihi à partibus indicatum esse, quo quid actum sit, certò mihi constet. Deinde verò cùm hæc aliunde iam intelligam profiteor meo sociorumque omnium meæ curæ commissorum nomine, nos omnes pacem ipsam libentissimis animis amplecti, quatenus spectat commune Religionis Catholicæ bonum, vel mutuam Operariorum caritatem opemque. Pollicemur quoque nos omnem duros operam nè summus Pontifex (vt Concordia hæc loquitur) per falsas informationes decipiatur, atque imprimis ne vlla vel minima re Serenissimi Regis, Reginæ aut status honor lædatur. Quæ omnia sicut hæctenus pro virili semper præstitimus, ita in posterum etiam præstare, ac procurare vt ab alijs præstentur omni studio conabimur.

In quorum omnium fidem officij mei sigillum, manumque propriam apposui. Londini die 25 Nouembris Anno 1635. Richardus Blo. idus.

XVII. Et ad Gregorium ipsum Panzanam has literas.

Admodum Reuerende Domine

**Q**VI has Reuerendæ Dominationi Vestræ daturus est P. Robertus, narravit mihi, casu nec opinanti sibi contigisse vt Dominatione Vestram eadem die, scilicet Martis hebdomadæ elapsæ, Mensis autem decimo septimo, eademque horâ officij causâ adiret quo D. V. plures secum Sacerdotes congregatos habebat, pacis cuiusdam, vt postea vidit, conficiendæ causâ. D. autem V. ad se (vt adesse intellexit) paulisper egressam, id ipsum indicasse, nec non dixisse, communiter iam ab illis constitutum esse de aliquo mittendo qui me omnium nomine ad eandem secum concordiam inuitaret. P. vero Robertus, vt narrat, respondit, quamuis meâ vel alterius meo loco præsentia opus non sit cùm nos pacem cum omnibus colamus, ac parati simus semperque fuerimus cuiuscunque se à nobis læsum profitenti facere satis, se tamen minimè dubitare

Nnn 4

quin